PHILINUS ET HAHNEMANNUS

SEU

VETERIS SECTAE EMPIRICAE CUM HODIERNA SECTA HOMOEOPATHICA COMPARATIO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE II. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS FERD. BRISKEN

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

THEOD. AMECKE, MED. ET CHIR. DR.
FRID. FREUSBERG, MED. ET CHIR. DR.
FRID. VENNEWITZ, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

»*Medicos, qui solam experientiam sequuntur, non admittimus, quoniam ipsi sicut ideotae faciunt, qui vident inspicientes et rerum quidem eventum contuentes, causam vero ignorantes*».

GALENUS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

WILLIBALDO BRISKEN

COLLEGII MEDICINALIS ASSESSORI ET PHARMACOPOLAE
ARNSBERGENSI

NEC NON

PATRUO CARISSIMO

FERDINANDO BRISKEN

AD IUDICIUM AULICUM ARNSBERGENSE SECRETARIO PRIMARIO

HAS

QUALESCUNQUE STUDIORUM
PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Nusquam certe, nisi in dissertationibus ipsis, illud Terentii dictum: „Nihil, quod non jam antea dictum, dicitur“ magis comprobatur, quam in dissertationum prooemiis. Si perlegeris unum, nosti omnia. Mirum enim, si quid aliud inveneris, quam latiores aut breviores periphrases illius sententiae: „Nos omnes dira urget necessitas scribendi; et deinde excusationem aut de materia tractata, aut de forma, in explicanda materia adhibita. Omittimus igitur, sexies repetita repetere, nec plura addimus.

nisi hoc unicum maxime necessarium ex Ciceronis Quaest. Academ.: „Nos, quoniam contra alios, quae videntur, dixerimus, non posse, quin alii a nobis dissentiant, recusare;" caeterum verum eruere sine ulla contentione voluimus, idque summa cura studioque conquisimus.

Si verum est, quod nemo dubitat, ut saepius viri docti, iique maxime cordati et ingeniosissimi alii alio studio adducti, vel etiam humana imbecillitate quadam abrepti, cum in caeteris litteris ac disciplinis, tum in iis perplexis, quae ad artem medicam pertinent, rebus, sive quod veterum placita munirent, sive novum errorem tanquam inauditi systematis fundamentum et principium praedicarent, majorem, quam par erat, auctoritatem sibi comparaverint, atque perniciosam vim exercuerint; non est inficiandum, parum abfuisse, quin novissime ista opinionum perversarum tyrannis immensam hominum multitudinem per triumphum ageret, et rectam viam ac satis munitam ad veritatem inveniendam firmiter ducentem vel vanis nubibus obscuraret vel

crepundiis prorsus obstrueret. Bellum scilicet dico, nemini non notum, illud inter theoriae, quam homoeopathicam vocant, sectatores, et viros Allopathiae addictos nostra memoria gestum, quod, si quis reputaverit, quanto fervore, quibus armis, a quot et quibusnam viris administraretur, utrum justa pace inita compositum sit, an induciis factis cesset, jure addubitare videtur. Nuperrime tandem *Kopp* (1), vir clarissimus, experimentis, quod prae caeteris par erat, ad aegrotorum lectulos institutis, quid Homoeopathia praestare possit, nec ne, sincere demonstravit. Juxta experientiam vero in medicina et medicinae historia gravissimi adhuc momenti pro certo habenda est. Historia enim, illa et systematum et opinionum judicatrix strenua ac legitima, quodnam omnibus ab initio ad hunc usque diem sectis fuerit fatum, probe declarat; hac igitur sola adhibita, quaenam prognosis *Hahnemanni* doctrinae per analogiam saltem statuenda sit, eruere conabimur. Si quis quaesiverit, quidnam viri sanae mentis aequo labo-

---

Dr. J. H. Kopp's Erfahrungen und Bemerkungen bei einer prüfenden Anwendung der Homoeopathie am Krankenbette. Frankfurt. 1832.

riosius vel experimentis institutis, vel praeceptis veterum examinatis eruere molirentur, quae fides habenda sit rationi ac medendi methodo, qua vel tonsi quoque et lippi usi pariter ac viri docti, morbos quosvis curare ausi sint, id eum admonitum volo, in disciplina medica, si qua in alia re, eos non longe aberrasse videri, qui *Baconis* illud: „non est excogitandum sed experiendum, quid natura faciat, quid ferat" supremam quasi legem posuerint.

Quae cum ita sint, mihi non alienum videtur, pauca ex historia depromere, quibus eluceat, jam patrum memoria illos viros, quos vocamus Empiricos, eandem fere viam ingressos esse, qua nostra aetate *Hahnemannus* ejusque asseclae incedunt. Mihi igitur convenit, quae similitudo, quique consensus placitis veterum Empiricorum cum *Hahnemanni* praeceptis intercedat, sine ira ac studio docere.

Sed priusquam ad negotium susceptum aggrediar, primum breviter exponam, quae conditio ac forma artis medicae ea aetate fuerit, quae initia et incrementa sectae empiricae tulit; deinde qua praestantia et laude

medicina gaudeat novissimo tempore, quo Homoeopathici pullularunt, ingenue ostendam.

Constat inter omnes *Hippocratem*, virum illum singularis ac stupendi ingenii, quem veteres propter ipsius locupletatam eruditionem animique probitatem divina potius quam humana progenie natum merito fabulati sunt, tam quoad theoriam experimentis comprobatam et fultam, quam ob materiae medicae satis idoneam cognitionem recentioribus viris medicina occupatis, iisque in hisce litteris versatissimis adeo accessisse, ut qui et nostris diebus *Hippocratem* ipsis instar omnium esse ingenue fassi sint, neutiquam nugas agere vel veritatem prodere videantur. Quid enim de viri divini indole verius vel brevius vel pulchrius dicas equidem non video, quam quod gravissimum historicum quondam de *Hippocrate* scripsisse legimus: theoria *Hippocratis*, inquit, concepta a dubiis, experientia nata et observationibus et usu nutrita est, atque opera, quae reliquit, ejusdem sunt, ut inde magnam opinionem auctoris concipias, auctor ipse vero eum se praebuit, cujus opera summa fiducia amplectaris. Jam ex iis laudibus conjicias velim, *Hippocratem* summum quoddam doctri-

nae medicae fastigium assequutum esse, neque fieri non potuisse. quin viri ingeniosi, quae est humanarum rerum mobilitas, novis theoriis ac methodis insudarint. Itaque sane non mirum est, si ea aetate, quae litterarum graecarum aurea audit, *Hippocrate* mortuo, haud pauci viri ingenio pollentes separarunt, quod bene conjunctum erat, aut quae ipsis immerito repudiata viderentur, speciosum in modum restaurarunt. Quid multa jam *Draco* et *Thessalus*, filii *Hippocratis*, et ejus gener, *Polybus*, praeceptoris vestigiis neglectis, scholam fundarunt, cujus dogmata cum *Platonis*, *Aristotelis* et *Stoicorum* opinionibus concrescere et familiariter in unum conspirare non recusarunt. Neque multo post *Philinus*, Cous, exstitit fundator ille sectae empiricae, illi scholae dogmaticae e diametro oppositae. Deinde ex his duabus scholis jam conditis prodibant *Methodici*. Sicuti enim *Dogmatici* speculationi, empiriae *Empirici* solum indulgebant, sic *Methodici* formam modo respiciebant (2). Omnes

---

(2) Damerow, die Elemente der nächsten Zukunft der Medicin entwickelt aus der Vergangenheit und Gegenwart. Berl. 1826. pag. 57.

autem diversarum sectarum dissensiones et contentiones *Galenus* summo ingenii acumine inter sese conciliavit et in unum redegit corpus, ex quo medici per mille annos et plus praecepta deprompserunt.

Cui profecto medicorum lethargiae, et illi, de quo diximus, corpori, ut *Celsum* aliosque minoris momenti auctores omittam, acceptum retulimus, si quid medicorum fructuum ad nostram memoriam redundavit; alias enim non solum opera, verum etiam auctorum nomina interirent necesse erat. Quo enim jure viros vanitatum captatores, sana rerum physicarum cognitione prorsus destitutos, qui crassa superstitione capti morborum causas nescio cui daemoni attribuerent, ad medicam eruditionem locupletandam idoneos fuisse putas? Hoc loco non est praetereundum, qui aevo quovis philosophiae sit status, ne dicam totius litterarum orbis faciem, eandem fere conditionem ac formam artis medicae fore.

Omnes ergo eos, qui neglectis litteris, sine assiduo studio quasi per compendia ad veram artis medendi cognitionem pervenire sibi viderentur, crimen laesae majestatis in probam ac sanam medicinam admisisse sta-

tuendum est. At si cui forte dubium sit, quae recentioribus saeculis fata medicinae fuerint, sincere observato.

An non vere vides, ut viri alacres ac strenui, quum litteris reviviscentibus, ne in rebus vel divinis vel humanis, quod indages, superesset, non solum terrarum orbem, verum coelum etiam perlustrarent, artem quoque medendi eo, quo dejecta erat, statu constituerint, quin et pro viribus promoverint?

Atqui certe *Brownius*, ille *Hippocrates* alter, qui sub finem saeculi elapsi vixit, novo systemate divulgato, tantam celebritatem tantamque auctoritatem adeptus est, ut medici totius Europae, quomodo aut de ejus fama detraherent, aut quid novi ac melius proferrent, aeque obstupuerint, quare quod theoria *Browniana* omnium fere systematum adhuc vigentium basis evaderet non miramur.

Quam vere *Brownium* cum *Hippocrate* comparandum esse judicaverim, id praecipue indicio est, quod eo mortuo aeque multi empiricae, dogmaticae et methodicae theoriae auctores illis post *Hippocratem* sectatoribus enatis haud absimiles exstiterunt, quos inter ii Empirici non ultimum locum obtinent, qui

Eclectici vocantur, et revera sunt medicorum electi. Nam et *Dogmatici*, theoriis sublimibus freti, et iis oppositi *Empirici*, *Homoeopathicos* prae caeteris dico, usque adeo omnes fere limites ac modum excedunt, ut qui illos somniare, hos autem ironiam scribere credant, propius ad veritatem accedere videantur.

Jam reliquum est, ut quam vim in medicinam exercuerit philosophia, paucis expediam. Quotiescunque libris recentiorum philosophorum perlectis cum *Lockio* sagacissimo, quiduam viri nomine sapientium insigniti sibi vellent, quos litteris peculiares fructus ediderint, qui potissimum sensus ac vis sesquipedalibus verbis inesset, religiose quaesivi, nihil sane aliud illos viros doctissimos egisse intellexi, quam ut imitarentur Deum ipsum, quem quondam, ne homines nescio quam turrim excitarent, perturbatis sermonibus linguas diversas reddidisse sacra scriptura testatur. Iidem homines boni, altero alteri obstrepente, sese nihil memoratu digni confecturos esse cum vidissent, huc illuc dispalati, quod facere fas esset, perficere conabantur, atque etiam in posterum, quum animum ad philosophan-

dum attendere coepissent, sese viam quandam altiorem ac periculosam incedere persuasi, rem ita administrarunt, ut cuique litterarum disciplinae peculiarem provinciam suamque tractandi esse rationem agnoscere viderentur. Hinc factum est, ut veteres auctores de rebus caeteris disserentes, quibusvis philosophorum vanitatibus alias se trahi passi sint, ea methodo tantaque orationis simplicitate uterentur, ut et rudiores, quae res traderentur, capere ac dijudicare potuerint.

At contra nostris temporibus omnes admodum viri docti etiam juvenes, et si litteras et bonas artes modo delibaverint, aut certe, ut aliud dicam levius, paene omnes, quidquid de re qualicunque aut disserant aut scribant, in principia et placita Philosophorum etsi perversa ruunt, ac potius illorum verba magnifica et inanes orationis flosculos tanta anxietate captant, ut vere suspiceris, aut contradictoria et errata oblinendi gratia hoc fieri, aut eos id agere, quantum possint, ut eam aetatem, quam vocamus mythicam, revocent, qua homines semibarbaros, quidquid audierint et viderint vel quoque facultate imaginaria collegerint, quum litterarum rudes ne artem

scribendi quidem nedum justum orationis stilum bene callerent, poetarum instar mirum in modum ore rotundo et versibus comtis cecinisse, atque eam ob rem iis, qui forte pinguiore ingenio laborarent, vel divinitus afflatos vel mania quadam correptos fuisse visos perscriptum legimus. Quae quidem principiorum commixtio, quo postremo evadat, quam jacturam non solum perspicuitatis, verum etiam solidae veritatis litterae, praesertim medicina, faciant, nemo non videt, qui, communi omnium doctrinarum vinculo salvo positivis disciplinis et philosophicis permultum intercedere et ideo cuique arti scientificae certos fines, fundamenta sua, peculiarem methodum, imo vero orationis modum applicanda esse, bene noverit.

Namque ponamus verbi gratia haec vel similia veritatis cujuslibet principia: veritas nonnisi in sensus cadit; imo ideis solis inest; omnia per se eadem, per ideas tantum diversa; phaenomena sunt proprietates et merae modificationes aut causae primae sive idealis sive materialis aut similis secundariae; hae modificationes sunt rerum diversarum manifesta rixa aut, si placet, horum omnium com-

plexus quidam et pax; atque haec etiam adjicio: morborum causa principalior fatum quoddam aut poena est; *Archaeus* iratus aut erratus omnium morborum est omnipotens excitator; morbi in animo quasi affectiones sedent; peccata cor obdurant corporaliter; psora latens vel repressa fere omnes parit morbos; et id genus innumera — dii boni, quos fructus ad morbos curandos medicinae inde redundare speras! Atque tamen multos videmus, qui in morbis curandis, prout ab his vel illis placitis mere philosophicis se illudi patiantur, modo vetustissimorum more, quae medicamina in uno aut altero casu morborum vexationes levasse audierint, bona fide in omnibus adhibeant, modo nonnunquam adeo non minus superstitiosi agant, atque obscurus Romanorum senatus, qui olim, ut pestem pelleret, per Oscios saltatores ludos nugatorios institueret.

Haec in universum dicta sufficiant, ut cognoscas, quam vere judicaverint ii auctores, qui perversa illa medicinae systemata in meris Philosophorum commentis vel fundata vel inde comprobata, et eam ob causam in sen-

tentiarum philosophicarum fumum ac nebulas resolvenda esse contenderent.

Hos inter auctores spectatae eruditionis numerandus est *Curtius Sprengelius*, qui in historia sua medicinae pragmatica Tom. 1. pag. 404, quid secta empirica *Scepticis* acceptum retuleit, summa sagacitate et satis copiose demonstravit. Egregie autem ac polite scripsit *Damerow* in insigni compendio suo laudato: Empirici, inquit, quum jacturam cogitationum (Gedankenbanquerott) ex asse fecissent, ad Scepsin confugiebant, ut aliquid saltem solatii inde caperent.

Ut vero *Fichte*, acerrimus ille et sagacissimus vir, postremo et phantasticum illud *Hahnemanni* systema procuderit, luculentius ostendere molitus est *Fraenkel* in libro nuperrime edito: „Das homöopathische System in seinem Zusammenhange mit der Geschichte der Medizin und dem jetzigen Zeitgeiste.“

Medicina igitur usque adeo ab experimentis rite institutis dependet, et tam arcte cum cautis meditationibus conjuncta est, ut viros doctos ac sobrios etiam invitos ad genuinam viam reducat, quare non mirum est, quod medici ad unum omnes, cuicunque sectae ad-

dicti et tricis vel nugis distenti, aliquid memoria dignum et probabile attulerint. Itaque recte admonuisse videtur *Trillerus:* Neque veteres, ait, habent per aetatem, quae novi; nec novi rursus omnia, quae veteres; ideo hi cum illis felici connubio semper sunt conjungendi, et studiose inter se comparandi. Haec enim certe est via, paucissimis licet hodie calcata, ex qua medico veri demum enascitur cognitio (3).“ —

Quae cum ita sint nescio, an doleam, nostris temporibus nondum alter Galenus exstiterit, qui ingentes medicorum thesauros in unum colligeret ac redigeret, dummodo singulis medicamentis subscriberet: sexcenties et novies probata sunt.

Haec sunt, lector candide, quae praevie in memoriam revocare operae pretium esse existimavi; jam tempus est, doctrinae ac methodi cum Empiricorum veterum tum Homoeopathicorum uberiorem explanationem proponere, si qua forte, quod tibi comprobatum iri velim, satis luculenter docere valeam.

---

(3) Trilleri opuscula medica edidit Krause. Lips. 1766. Tom. II.

Sectae empiricae praefuit *Philinus* Cous, qui primus Medicinam a rationali abscidit, occasione ab *Herophilo* suo praeceptore accepta.

Fundamentum sectae empiricae unicum fuit: experientia, Ἐμπειρία graece dicta; cognitiones sensibus nobis acquisitas, omnino illis per ratiocinia seu a priori, uti dicunt, nobis praeparatis praeposuerunt. Experientiam autem vocabant cognitionem αὐτοψία acquisitam (4); αὐτοψίαν vero eorum memoriam esse dicebant, quae saepenumero et eodem modo visa fuerint. Praeter αὐτοψίαν sive observationes proprias et lectionem historiarum seu observationum ab aliis fideliter consignatarum commendabant; et denique Analogismum, transitum ad simile, vel substitutionem rei similis (5) in usum vocabant; a remedio scilicet, in morbo semel probato, ad aliud, similitudinem quandam cum illo referens, quid hic sit faciendum vel applicandum concludebant. Atque tres hasce partes, αὐτοψίαν, historiam et Analogismum, vel, ut alii dicebant, sensus, memoriam et Analo-

(4) Galenus de subfiguratione Empiric. Cap. II.
(5) Galenus l. c. Cap. X.

gismum tres medicinae columnas (Glaucias τὴν τρίποδα τῆς Ἰατρικῆς) appellabant. Haec tria recensita ad curandos morbos jam sufficere, qui medicam artem non ab indicatione, uti *Dogmaticis* placebat, sed ab experientia esse constituendam dictitarent, certò certius sibi persuadebant. In curandis medendisque morbis ideo symptomata tantum ac potius eorum complexum, συνδρομήν, dictum, considerabant; et secundum Galenum (7) morbum appellabant talem symptomatum concursum, ut pariter illa incipiant, augeantur, vigeant, declinent et recedant. Ut autem symptomata ideoque et morbum removerent ac tollerent, id adhibebant remedium, quod in casu simili per usum et experientiam proficuum didicerant. Unam tantum ergo in omnibus morbis respiciebant indicationem et quidem tristissimam, illam scilicet ex nocentibus et juvantibus, cujusvis medici rationalis ultimum refugium! Quum vero symptomata tam varia et diversa (licet causa prorsus eadem effecta!) atque adeo morbi plane novi, vel saltem nondum observati obvenirent, remedia perquam multa cognoscerent

---

(6) Galenus l. c. Cap. V.

prae caeteris necesse erat; et is, qui remedia in promptu haberet plurima, ille erat, ut cum *Goethio* loquar, vir dexterrimus! Quantopere revera Materia medica eorum studio aucta et amplificata sit, prolixius enarrat *Curtius Sprengelius* (7).

Causam vero sufficientem seu proximam cum sanitatis, tum morborum, ratione tantum et conjectura investigandam, tanquam incertam ideoque vanam omnino negligebant, quia natura sit incomprehensibilis; et quidquid veri medici rationales de actionum naturalium et morborum causis elicere essent conati, meras esse conjecturas contendebant, quae minime ad morborum curationem pertinerent; quia non intersit, quid morbum faciat, sed quid tollat observare; et medicinam non ab istis esse deductam quaestionibus, sed ab experimentis (8). Quamobrem uti Physiologiam et Pathologiam pari modo et Anatomiam inter scientias medico haud necessarias imo damnosas numerare non dubitarunt. Profecto enim cadaverum dissectione facta, vivi hominis proprieta-

(7) Pragmatische Geschichte der Medizin. Thl. I. pag. 419.

(8) Celsus de Medicina, in praefatione Lib. I.

tes et habitus ex mortuis anquirere, aeque stultum et ridiculum esse, ac more haruspicum ex victimis auguria capere. Anatomia, Physiologia, et Pathologia rejecta, Therapia Empiricorum omni destituta erat stabili fundamento, neque magnam indigestamque observationum molem sub certam formam (systema) redigere poterant. Hinc quoque postremo evenit, ut quisque, quum, quin omnes de morbis eorumque remediis institutae ac collectae observationes memoria tenerentur, fieri non posset, quandam organismi partem curando potissimum sibi eligeret, quemadmodum etiam, *Galeno* referente, inter illos inveniebantur medici ad caput, ad stomachum, vel etiam ad — anum! — Sed haec hactenus de Empiricorum veterum secta. —

Homoeopathiae conditor ac summus dictator *Hahnemannus* in omnibus suis operibus non sat saepe commemorare ac repetere potest (sicuti Empirici olim contra Dogmaticos) suam doctrinam esse mere experimentalem, in sola ac pura experientia fundatam; atque vero Medicinam rationalem (Allopathiam sic dictam) opinionibus tantum et commentitiis exstructam, et ad hunc usque diem vix aegre prolatam

ac conservatam esse. „Usque ad hunc diem universa Medicina, etsi per duo annorum millia et plus sexcenti probi ac periti medici illi operam navarent et addicti essent, scientia tamen perquam falsa vanaque fuit.» Haec sunt *Hahnemanni* ipsissima verba (9) et hoc modo conviciatur in sexcenties operum suorum locis. (Vide ejus Organon, Therapie der chronischen Krankheiten, Handbuch der reinen Arzneimittellehre).

Quantopere vero Homoeopathiae asseclis, uti et Empiricis, in arte exercenda memoria opus sit, jamjam elucet e methodo aegros examinandi, ab *Hahnemanno* praescripta (10); multo magis vero, si obiter tantum adspexeris ejus Materiam medicam puram. Quisquis sex modo medicaminum symptomata et quidem omnia (id enim pernecessarium) ibidem promiscue confuseque enumerata, memoria tenere velit, *Nestorem* longe superet memoria opus est. Quid veteribus Empiricis historia, Homoeopathicis sunt eorum Ephemerides, inter

---

(9) Organon der rationellen Heilkunde. Dresden 1810. p. 16.

(10) Organon p. 63 — 81.

quas et aetate et fama prae caeteris excellit: Archiv für die homoeopathische Heilkunst. Leipzig 1822 — 31. In hoc Archivo revera sanationes morborum perquam pertinacium atque spinosorum, mirum, ni miracula ac potius narratiunculas credas, relatas legimus. Ante circiter sex annos autem *Hahnemannus* tandem psoram patefecit latentem, quam psoram, nisi initio curationis cujusvis (syphilis enim et sycosis raro admodum obveniunt) morbi chronici removeris, sanatio morbi certe nunquam tibi procedet. At uti ignoti nulla cupido, ita latentis ideoque ignotae quoque psorae nulla certe fuit curatio, et tamen sat multi aegroti, chronico morbo laborantes, sanati et quidem perfecte sanati sunt. Quis, his pensitatis, non vocaret in dubium vel totius theoriae vel saltem historiarum ibidem consignatarum fidem? Ceteroquin *Hahnemannus* hac psora latente eruta cardinale doctrinae suae dogma rejecit, imo fere totum suum systema evertit; nam psora removenda est remediis antipsoricis; τὸ ἀντί vero respuit ὅμοιον.

Quod autem ad incorporeas attinet doses, cum ab improba philosophia deludi *Fraenkel* multa

cum sagacitate demonstrat (11). Analogismus denique in exercenda sua arte non minus necessarius erit Homoeopathicis, quam fuit Empiricis, quum et symptomatice tantum agunt, et semper similes modo, secundum *Hahnemanni* sententiam, et nunquam et nusquam iidem iterum observantur morbi casus.

Quod ad definitionem morbi attinet, *Hahnemannus* hanc ab Empiricis ad verbum fere desumpsit. »Si omnia symptomata (symptomatum συνδρομὴν) removeris, morbum ipsum removeris; nullo enim modo cogitari potest cunctis symptomatibus remotis aliquid adhuc aliud restare, nisi sanitatem ipsam (12)»

Bona hac fide ductus et *Hahnemannus* uti ***Philinus*** Anatomiam, Physiologiam et praeter quandam vanam Semioticen totam Pathologiam e serie doctrinarum ad medicinam pertinentium tanquam nugas futiles prorsus proscribit.

Nuper quidem, valde vexatus, doctrinam suam perquam ancipitem de Pathogenia morborum chronicorum divulgavit; num vero in Psora adoptata aliquid praecipui ac potius

---

(11) Fränkel in libro suo jam laudato p. 44.

(12) Organon p. 11.

ridiculi teneat ante veteres Empiricos, non difficile est ad decernendum. —

De Anatomiae vero et Physiologiae utilitate ac fructu in Organo suo disserit hoc modo (13): »Omnia dogmata de structura et functione partium cerebri, et tota subtilium speculationum pompa de inflammationis natura ac causa, omnes de aquae et caloris naturae opiniones plane nihil ad inveniendum remedium specificum contra phrenitidem ab insolatione exortam pollebant. Ecce fortuito hoc invenit *Loeffler* — infundit phrenitide correptum cum aqua fervida! — Hoc et multa adhuc alia specifica invenit et deducit Homoeopathia vero (sine omni nimirum Anatomiae, Physiologiae et Pathologiae auxilio) ex theoria sua simplici»! —

Quantopere *Hahnemannus* doctrinam suam comprobet re, ennarat *Joerg* (14): »Quamdiu *Hahnemannus* versabatur Lipsiae, aegrotos raro admodum visitabat, multo magis vero effugiebat mortuos, nec ullam unquam faciebat sectionem.«

---

(13) Pag. 16.

(14) Kritische Hefte für Aerzte und Wundärzte. Zweites Heft.

Inter omnes vero Medicinae doctrinas Materia medica summum obtinet locum: haec sola comprehendit totam cujusvis Homoeopathici vim ac scientiam; *Hahnemanni* Materia medica pura (sat multis, proh dolor, impuris commixta) sacra est ancora, de qua dependet totius generis humani sanitas ac salus! Quisquis penitus novit remedium, facile comperit morbum huic convenientem. — At quodque remedium est specificum, et singula nullas inter se habent qualitates communes, ideoque sub certum systema redigi non possunt, sed promiscuae tantum dinumerandae sunt.

Quis vero tam felici memoria praeditus est, ut statim (uti acuti scilicet ac graves morbi casus saepe poscunt) inter tam ingentem remediorum molem aptum eligat remedium? — Quamobrem non dubito, fore, ut et inter Homoeopathicos, quando majorem perfectionis gradum adeptus fuerit Homoeopathia, uti inter Empiricos, inveniantur medici ad quasdam corporis regiones! —

Priusquam vero res eo venerit, omnes Homoeopathiae sectatores illa praeclara ac gravia *Fraenkelii* verba bene considerent rogatos velim: »Von Seiten der Aerzte betrach-

tet, die diesem Systeme huldigen, ist es die geistige Entwickelungskrankheit, die entweder den Todesprocess des ärztlichen Verstandes einleitet, wodurch dieser zum Unverstande und Mystizismus wird, und so, ausserhalb der Wissenschaft, sich noch eine Weile behauptet; oder aber zur Vernunft kommt und wahrhaft rationelle Thätigkeit wird, in welcher die beiden Glieder, das theoretische sowohl als das praktische, nachdem jedes seine verschiedenen Stellungen durchlaufen, zur Einheit sich vermittelt haben, und die Medizin als ächte (nachahmende) Kunst erscheinen lässt.»

VITAE CURRICULUM.

Franciscus Ferdinandus Brisken natus sum Arnsbergae anno **MDCCCXI** die **XXVIII** m. Augusti, patre optimo dilectissimoque *Willibaldo Brisken*, Collegii medicinalis Assessore et pharmacopola, matre carissima *Sophia* e gente *Spanke*, quos parentes supremi numinis favente gratia huc usque servatos summa cum pietate veneror, et confessioni catholicae addictus sum. Primis literarum elementis in scholis inferioribus imbutus, Gymnasium Arnsbergense, Directore *Baaden*, maxime florens, frequentavi, ibique per sex annos et dimidium literarum studio incubui, praeceptoribus omnibus mihi dilectissimis, e quibus tamen prae caeteris summas debeo.

gratias *Brüggemanno*, Doctori Philosophiae, cujus et ipsius viri, quod praeceptorem nactus sum, memoria semper erit laetissima. Testimonio maturitatis dimissus ineunte vere anni MDCCCXXX in Universitatem Bonnensem me contuli, et a beat. *de Droste-Huellshoff*, t. t. Rectore magnifico, civium Academicorum numero adscriptus, nomenque apud Ill. *Meyer* t. t. spectabilem Ordinis medicorum Decanum professus sum. Per duos annos, dum in hac alma Rhenana studiis medicis operam navavi, animum inprimis ad haec studia adjeci, et hisce et philosophicis et medicis adfui scholis:

Ill. *van Calker* Logicen et Psychologiam tradentem audivi; Physicen Ill. *de Münchow*, Chemiam Ill. *Bischoff*, Mineralogiam Ill. *Noeggerath*, Zoologiam Ill. *Goldfuss*, Botanicen tam generalem quam specialem Ill. *Treviranus;* Botanicen pharmaceuticam Ill. *Nees ab Esenbeck* mihi tradiderunt. Ill. *Mueller* de Encyclopaedia et Methodologia medica, de Physiologia et Anatomia comparata, Ill. *We-*

3

ber de Osteologia et Anatomia speciali, Ill. *Meyer* de Anatomia generali et speciali lectionibus interfui. Cursum secandi artis ducibus Ill. *Meyer et Weber* féci. Ill. *Harless* Diaeteticen, Pharmacologiam generalem, et specialem, Pathologiam et Therapiam generalem, Historiam medicinae recentioris aevi, denique Pathologiam et Therapiam Cholerae tradentem lubenter audivi. Ab Ill. *Naumann* Pathologia generali et speciali, et ab Ill. *Wutzer* Pathologia et Therapia morborum chirurgicorum institutus sum.

Auctumno anni MDCCCXXXII hauc almam Musarum sedem Berolinensem adii, et civibus Academicis a Rectore Magnifico *Weiſs* adscriptus, nomen apud Ill. *Osann*, t. t. spectabilem ordinis medicorum Decanum professus sum.

Per hoc tempus scholis Ill. *Horn* de Therapia speciali et de Syphili, Ill. *Müller* de Anatomia cerebri et organorum sensuum, Ill. *Wagener* de Medicina forensi interfui. Ducibus Ill. *Bartels*, Cel. *Wolff*, Cel. *Truestedt*, cli-

nicum medicum et policlinicum, Ill. ***Rust*** et Cel. ***Dieffenbach*** chirurgicum et Ill. ***Juengken*** ophthalmiatricum frequentavi. Ill. ***Busch*** artis obstetriciae Theoriam et Praxin me docuit.

Jam nihil antiquius habeo, quam ut praeceptoribus, quos viros, praestantissimos omnes, optime de me meritos, summa veneratione colo, grates persolvam meritas.

THESES DEFENDENDAE.

1. Nullus medicus verus, quin etiam sit philosophus.
2. Cordis vis ad sanguinem propellendum non sufficit.
3. Nunquam morbus, sed aeger curandus.
4. Therapiam generalem medico utiliorem quam specialem, contendo.
5. Operatio Hydrocelae radicalis curationis causa rejicienda est.
6. Assentior illi Goethiano:

Es ist der Weiber all ihr Weh und Ach
So tausendfach
Aus einem Punkte zu curiren.